PHARVS BENEDICTINA

SERIES ET NOTITIA TROCENSIVM ABBATVM, ORDINIS S. BENEDICTI.

ad conseruandum viridi & celebri recordatione Prædecessorum (æuo succedente) decus.

Concinnata

Per A. R. D. STANISLAVM SCZYGIELSKI Ord: S. BENEDICTI.

& ab eodem,

Perillustri & Reuerendissimo Domino,

STEPHANO KOBIERZYCKI,

ABBATI TROCENSI, PRÆPOSITO PIOSVNENSI,

officiosè oblata dicataq;

de licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
Apud Heredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M. Typogr:*
Anno Domini, 1668.

In Stemma Gentilitium,

Perillustris & Reuerendissimi Domini,

STEPHANI KOBIERZYCKI,

ABBATIS TROCENSIS.



Pande sinus generosa RATIS super æquora, solers
  Te Nauarchus agit, siste procella minas.
Hybernis parcant nimbosi flatibus Euri,
  Trocia lene Thetis sub RATE flecte caput.

Perillu-

Perillustris & Reuerendissime Domine.

PRodeunt in lucem, è diuturnâ obliuionis caligine, ABBATES TROCENSES, meritis laboribusque, in & pro Ordine BENEDICTINO, susceptis, celeberrimi, & Tuum ambiunt patrocinium. Ad quem autem illi profundâ detriumphatâ nocte, virides deferrent vel æquius vel decentius laureas, quàm ad STEPHANVM KOBIERZICIVM, ipso Nominis auspicio, Coronas & Victorias denotantem, & clarissimâ ortum familiâ, Religionem Benedictinam in horizonte Lituanico maximè illustrantem? quem etiam, vti religiosis virtutibus omnibus, sic nobili æquè sanguine conspicuum considerantes, in hoc Honoris ABBATIALIS fastigio, TROCIS sibi gratantur successisse.

Ac mihi quidem, viginti Antecessores Tuos ex ordine recensenti, mysteriosus ille Seniorum ante sedentem in throno procidentium, coramque viuente in sæcula, Coronas suas mittentium, ex diuinâ Apocalypsi occurrit numerus; in quem numerum adscriptos spero, eorumque sacro Senatui accensos, TROCENSES Archimandritas nostros, qui post deuictum sæculum, & superatos innumerabiles validosque Animæ hostes, in arce æternitatis constituti, Coronas quas reportarunt, REGI SÆCVLORVM venerabundi substernunt: Te quoque in eundem sacrum numerum cœlestis huius Senatus libenter adsciscunt, & Stephanoma Empyreum Tuo Nomini, virtutibusque debitum, deposcunt, votisque tuis indulgent, vt quo diutius in mortalis vitæ stadio curras, eo quoque amplioribus & illustrioribus locuples meritis, in sacro dehinc Seniorum cœtu brauium gloriosus comprehendas.

Etsi verò superuacaneus forte alicui videri posset iste meus labor, quod illorum memoriam perituris chartis commendarim, quorum Nomina relata iam essent in fastos æternitatis: mihi tamen diuersa contrarium persuasit religio, & erga Heroes, Maioresq; nostros debita veneratio; vt quos parum decoro silentio latentes deprehendi, eos ex latebris obliuionis in apertum pro-

 ducerem,

ducerem, & illorum nomina ipsa saltem, si non viuam effigiem, virtutesque animi splendidissimas, calamo meo in gratiam posterorum repræsentarem.

Quanquam non eam vim ingenij contigisse mihi scio, vt possim cuiquam laudem, gloriam, æternitatemque tribuere: mea tamen Prælatis TROCENSIBVS *voluntas studiumque (si aliquis harum rerum sensus in mortuis residet) gratum esse inprimis debet, quod optauerim, quæ de illorum laudibus posteritati mandassem, esse æterna, ideoque hoc illis præsidium ad immortalitatem nominis adipiscendam comparauerim. Sed adeo ab opinione meâ abest, vt credam, posse mea scripta vim mortis effugere, vt satis benè ac feliciter illis euenturum existimem, si semel adhuc in hominum conspectum prodire, atque aliquam, neque ita longam, communis vsuram lucis vsurpare contingat.*

Cæterum, eum me esse intelligo, qui oratione meâ obscurare, quàm illustrare facilius clarorum virorum laudes possim: vt proinde id vehementer cupiam, vt feliciori, quam ego sum, ortis ingenio, hanc DEVS *mentem inijciat, vt Maiorum nostrorum laudes, quos doctrinâ & pietate cæteris præstitisse didicimus, monumentis ac literis mandare constituant.*

Tibi verò PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, *hunc meum laborem in recensendis Antecessoribus Tuis religiosè susceptum, oblatum eo: in quo omnium comprehensa decora decessorum feliciter illuxisse, præsens nostra gratulatur ætas, & cuius ego adfectum multò luculentissimum in me experior: pro quo beneficio, vt paruum aliquod redhostimentum exhibeam, meique grati animi amicum reponam symbolum, hoc Tibi de* TROCENSIBVS ABBATIBVS *conscriptum à me Syntagma repræsento. In quo catalogum bonorum eorum quæ in Te benigna fortuna pleno cornu effudit, non texo, quia palpari nunquam didici: virtutum quoque Tuarum insignem periodum breuiter percurro, ne lædam animi tui religiosam modestiam. Hoc tantummodo volo extare gratitudinis monumentum, vt cognoscant omnes* SZCZYGIELSCIVM *scire beneficium accipere, & cum non posset, saltem voluisse, reddere, Vale Antistes præstantissime & me amare perge.*

NOMI-

NOMINA
ET
SVCCESSIONES
ABBATVM TROCENSIVM,
LVCAS
Primus Abbas Trocensis.

LVCAS nobili genere in Poloniâ natus, primos adolescentiæ annos, in Tinecensi Asceterio, sub Instituto Diui Benedicti, vniuersorum Domino consecrauit. Ac paulatim, procedentibus annis ad Sacerdotij Ordinem promotus, monasterij Trocensis in Lituania Abbas primus fieri meruit. Jllo namq; temporis interuallo, Vladislaus Iagiello, cum Vitoldo fratre & cæteris Lituaniæ Proceribus, sacro baptismatis fonte abluti, & fidei Christianæ sacramentis initiati, fidem Orthodoxam flagranter amplificabant, & idolorum cultum inter gentiles funditus abolere enitebantur. cuius rei facilius perficiendæ gratiâ, Vitoldus in administratione Magni Ducatus Lituaniæ, à fratre Iagellone Rege Poloniæ permanere iussus, diuersos Ordinis Ecclesiastici Sæculares & Regulares viros ex Polonis in Lituaniam inuitabat conducebatq;, vt eorum sacris prædicationibus, & beatæ vitæ institutis, reliquiæ gentilitatis ex toto profligarentur. Quare cum Monasterium Ordinis Benedictini in veteri Troki Arce patriâ fieri procurasset, ad eius regimen & antistitium circa annum Domini MCCCCV. Lucam assumpsit quem Abbas Tinecensis cum suo Capitu-

pitulo, de gremio sui Conuentûs electum, eidem commendauerat. Fuit verò LVCAS, vir per omnia DEO deuotus, vitâ & conuersatione pius, doctrinâ & scientiâ clarus, qui à teneris annis, Omnipotentis DEI seruitio mancipatus, regulariter viuere sub deuotis præceptoribus didicerat: qui etiam in orationibus ad Dominum semper fuit deuotus, in obseruantiâ mandatorum DEI sedulus, in promouendâ salute animarum fidelium studiosissimus. Porrò, Trocensis noui Cænobij ordinatus Abbas, pristinæ conuersationis rigorem in nullo minuit, sed vsque ad mortem in sanctis operibus perseuerans, inter Neophytos verè Apostolus & Mysta venerabilis extitit, & in omni suo conatu primam Religionis & rerum diuinarum solicitudinem semper exquisiuit. Cuius sancta conuersatione homines delectati, vicissim seruum DEI omni officiorum cultu prosequi, pro animarum suarum remedio adire, verba vitæ & dogmata veræ fidei excipere, in more habebant. Anno dehinc 1415. Vitoldus Dux Lituaniæ, fundationem Trocensis Monasterij confirmauit, & LVCÆ ABBATI donationem fecit solennem: cuius est iste tenor.

Literæ Fundationis Monasterij Trocensis.

IN nomine Domini, Amen. Ad Perpetuam huius rei memoriam. Sanè tunc Diuinæ retributionis præmia, & temporalis prosperitatis augmentum, ineffabiliter nos consequi credimus; dum Ecclesijs & personis Ecclesiasticis, ad laudem DEI omnipotentis, munificentiæ nostræ dexteram impartimur: vt ipsi, cultui diuino liberius vacare possint, & Creatorem nostrum, pro Nobis & nostris successoribus suppliciter exorare. Proinde Nos, ALEXANDER alias Vitoudus, DEI gratiâ Magnus DVX Lituaniæ, & Terrarum Russiæ, Dominus atq; heres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, præsentibus & futuris, harum notitiam habituris: quomodo anhelantes Sanctam (per sacri baptismatis renouationem) assumptam fidem, pijs viuificare operibus, & meritorum præmia pro salutis nostræ compendio in æternitatis ærario feliciter cumulare: Honorabili Viro Fratri LVCÆ Ordinis S BENEDICTI Abbati Monasterij in Antiquis Troki, ad honorem & ad laudem Omnipotentis DEI, & gloriosæ Virginis Annuntiationis MARIÆ, & S. BENEDICTI Confessoris, per Nos erecti, Fratribus, & successoribus suis pro cultu diuino deputatis vel deputandis, damus, conferimus, & incorpora-

corpora-

corporamus perpetualiter, & in æuum præsentibus confirmamus. Primò, DECIMAS omnium frugum Curiæ Nostræ ibidem in Antiquis Troki, cum Auenâ & Feno: Aream cum duobus hortis, vnum, circa stratam quæ mediat Castrum & hortum prædictum, & secundum circa cæmiterium iacentem, & agellum circa Curiam. Item, villam quandam Smigalonis & Mosgalonis fratrum germanorum, & Vaskonum aliorum fratrum, circa Vakam fluuium sitam, cum omni iure & dominio, vtilitatibus & pertinentijs eiusdem villæ vniuersis. Et obstacula in Vaka fluuio facere, pro vtilitate & voluntate Ecclesiæ & Monasterij supradicti. Item villam Obrowo dictam, cum totali tributo, venationibus, & vtilitatibus vniuersis, quæ ad dictam villam nunc spectant, & in futurum spectare poterint meliori reformatione mediante. Item, lacum Korweko dictum in quem fluit fluuius, & in eiusdem fluuij medietate obstacula. & alias quæcunq; fieri possunt vtilitates facere, pro commodo & vsu Monasterij supradicti in Antiquis Troki. Quas quidem Decimas, areamq;, agellum, villas, & lacum, suprafatus LVCAS Abbas modernus, & sui successores, & Fratres Monasterij supradicti in Antiquis Troki habebunt, tenebunt, vtifruentur, & possidebunt pacificè & quietè, perpetualiter & in æuum, harum quibus sigillum nostræ Maiestatis est appensum, in robur & testimonium literarum. Actum & datum in Troki, feriâ quintâ ipso die Beati VALENTINI, sub Anno Domini MCCCCXV. per manus Nicolai Maldrzyk Notarij eiusdem Domini Magni Ducis Locus ✠ Sigilli. Hæ literæ habentur Tineciæ in Archiuo sub litera D. num: 1.

Ac tandem LVCAS Abbas admodum venerandus, cum se in omnibus irreprehensibilem ministrum & moderatorem per annos nouem in Trocensis Monasterij regimine exhibuisset, & nihil penitus eorum neglexisset, quæ ad officium boni superioris quoquomodo pertinuissent, annis pariter & laboribus confectus, ad pacatiorem, post huius miseræ agonem superatum, vitam transiuit, Anno Domini 1415. pridie Idus Decembris.

ALBER-

ALBERTVS ŻEGOTHA, ABBAS II.

ALBERTVS morum & doctrinæ insigni commendatione clarus, Lucæ in Abbatiâ Trocensi successit. Hic prius in Tinecensi Monasterio multis laudabiliter peractis annis, Principi Vitoldo postulanti, ab Abbate Tinecensi in Lituaniam ad regendam Trocensem Domum transmissus fuit. Quem Princeps magno complexus affectu, Loci ordinario, eo verborum contextu, (cuius tenorem ex Archiuo Tinecensi transcribo) præsentauit instituendum.

Alexander alias Vitoudus, DEI gratiâ Magnus Dux Lituaniæ, ac Terrarum Russiæ &c. Rndo in Christo Patri Domino Petro, eâdem gratiâ Episcopo Vilnensi deuoto nobis sincerè dilecto, salutem & perfectam in Christo JESV charitatem. Omnis mortalium cura, quamuis diuerso calle procedat, ad vnum tamen beatitudinis finem, nititur peruenire. Nos itaquè cum mortales existamus, de salute animæ nostræ & thesauro immarcessibili futuræ gloriæ sinceriter cogitantes, ad laudem DEI omnipotentis, & gloriosæ Virginis Mariæ, Monasterium Ordinis S. BENEDICTI in patrimonio nostro in Antiquis Troki, pro augmento sanctæ Fidei Catholicæ, inter neophytos nostrarum Terrarum de nouo ereximus, & fundauimus, iuxtaq; donationem à nobis datam desuper dotauimus, & priuilegijs nostris prout decet muniuimus, & confirmauimus. Pro cuius quidem Monasterij regimine spirituali & temporali, Religiosum Virum ALBERTVM Monachum Professum, nobisq; per Abbatem Tinecensem & per totum Conuentum dicti Monasterij Tinecensis canonicè electum, præsentatum & transmissum, suscepimus, quem in Abbatem verum ibidem in Antiquis Troki eligimus elegimus & statuimus, Vestræq; Paternitati eundem dignum duximus præsentandum: eandem Vestram Paternitatem requirentes sincero ex affectu, quatenus ipsum inuestire velitis de Monasterio supradicto & in Abbatem verum legitimè confirmare, adhibitis alijs cerimonijs & solennitatibus

circa

circa talia fieri solitis & consuetis, prout ad Paternitatis Vestræ officium pertinet pastorale: Harum quibus sigillum nostrum præsentibus est appensum testimonio literarum. Actum & datum in castro nostro Trocensi in Vigilia Natiuitatis CHRISTI, *sub anno eiusdem MCCCCXVI. Per Nicolaum Maldrzyk.*

Septennio verò in Trocensis Domicilij obsequijs demoratus ALBERTVS, vel tædio œconomicæ curæ fatigatus, vel quietis claustralis magis percupidus, Abbatia Trocensi vltrò se abdicauit.

IACOBVS.
ABBAS III.

POst liberam resignationem Alberti, Fratrum Trocis residentium, concordibus votis, IACOBVS ob specimen virtutis spectatæ & suauitatem gratæ conuersationis, in munere Abbatiali est surrogatus, & ab Episcopo Vilnensi tunc agente in viuis confirmatus ac institutus. Quod cum factum esset, citra voluntatem Abbatis & Conuentus Tinecensis, ad quos Electio ex fundatione ipsâ spectare videbatur, nonnihil contradictionis & motuum sustinuit IACOBVS, quam tamen difficultatem breui post sustulit, suæq; promotionis approbationem, & consensum in eam, à Conuentu Tinecensi obtinuit; cum eâ morum commendatione floreret, quâ facile perplexam in alio sufficiendo Antistite deliberationem, abruperat. Consentientium in eius promotionem Tinecensis Domûs Fratrum, hæc nota in Archiuo eiusdem Cænobij habetur.

Venerabili ac Reuerendissimo in CHRISTO *Patri & Domino D. Matthiæ Dei gratiâ Episcopo Vilnensi, Stanislaus Diuinâ prouidentiâ Abbas Monasterij Tinecensis, Totusq; Conuentus Monasterij eiusdem, Ordinis* S. BENEDICTI, *Cracouiensis Diœcesis, orationum suffragia deuotarum, intimâ cum in Domino charitate. Quoniam quidem Venerabilis*

 Fr. &

Fr. & Dominus IACOBVS *Abbas Monasterij Sanctæ Dei genitricis in Stare Troki per liberam resignationem Religiosi Viri Fratris Adalberti dicti Zegotha, vltimi & immediati antecessoris sui, possessionem actualem & realem Abbatiæ eiusdem, nec non intronisationem & confirmationem à Rmo in* CHRISTO *Patre & Domino Dno. piæ memoriæ Petro, eâdem gratiâ Episcopo Vilnensi, assecutus est gratiosè: Nostro tamen prius consensu literario non accedente: vnde scrupulum in animo suo exortum persanare volens, & accedens nostram præsentiam humiliter supplicauit, vt videlicet noster nostriq; Capituli consensus ad factum prædictum accederet fauorabilis. Nos verò vnanimiter capitulariterq; congregati, ex vnanimi consensu pariliq; voce, præfatam resignationem, vt præfertur, possessionem, intronisationem, & confirmationem innouamus, approbamus, confirmamus, rata omnia & singula habentes in eum, prout in literis videlicet Resignationis & confirmationis Reuerendissimi P. D. Petri &c. plenius continetur. Insuper etiam concedimus & promittimus præfato Don.* IACOBO *Abbati Staro Trocensi in fauorem Religionis nostræ & Christianitatis augmentum, assumendi ad Religionem & induendi quaslibet idoneas personas pro Religione valentes, ad profitendum eos secundùm morem Ordinis, auctoritate nostrâ quâ in hac parte fungimur speciali. In quorum omnium confirmationem, & facti ratihabitionem, sigillum nostrum & Conuentus nostri præsentibus sunt appensa. Datum in Monasterio nostro Tinecensi, Anno Domini MCCCCXXIV. Decimâ tertiâ die Mensis Octobris.*

Jam verò Trocensis Ecclesiæ gubernationem, quamdiu idem Iacobus retinuerit, non est facilè conijcere: videtur tamen à vero non alienum, viginti circiter exegisse in eo Magistratu annos, & cum laude domicilio illi præsedisse.

NICOLAVS, ABBAS IV.

Rectè suo functus munere per annos septem, defunctus seculo scribitur, die Decimâ quartâ Octobris, Anno Domini, 1452.

ANDRE-

ANDREAS, ABBAS V.

OBijt in Domino die 14. Septembris, quemadmodum Metricula Defunctorum continet, sed quo Anno, incognitum est.

IOANNES, ABBAS VI.

DE eo non constat ampliùs, nisi quod vltroneè resignasse dicatur.

MARTINVS, ABBAS VII.

IN re angustâ, robustum animum præsetulit, difficultates omnes quibus premi eum contigerat, fortiter perferendo: neq; tamen modestiæ Religiosæ iniurius ipse, cuius præsidio, æquanimiter aduersa excepisse omnia prædicatur. Post superatos verò suæ patientiæ exercitatores, in agonem vltimum virium deductus, succubuit mortalitati, quarto Nonas Augusti Anno reparatæ salutis humanæ 1472.

ALBERTVS II. ABBAS VIII.

ANDREAS II. ABBAS IX.

ALiquorum hîc Abbatum Trocensium nuda duntaxat nomina recenseo, sicuti ea in Catalogo vetusto posita deprehendi: non quod parum fecundi argumenti nomina censeri debeant, sed quia pleniori notitiâ de actibus illorum destitutus, dubia minusq; exploratæ fidei in medium adferre nulla decreui. Scripturarum verò necessariarum, circa res commemorandas, defectum abinde prouenisse existimo, quod perbreuis multorum seu vitæ, seu administrationis cursus, ob frequentes resignationes, prolixiorem materiam scribendi nequiuerit suppeditare.

STANISLAVS dictus Gaiek, ABBAS X.

MOrtuus scribitur exeunte Anno Domini 1499. ad diem 15. Decembris.

BER-

BERNARDVS DE WIELICZKA ABBAS XI.

SI, quod vulgus ſpargit diuerbium, (*Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt*) ſuam debet retinere auctoritatem; maximo illam teſtimonio fulciet virtus BERNARDI iſtius, qui ob præclaras animi dotes, magnam ſui æſtimationem apud omnes, ſed præſertim apud Sigiſmundum I. Regem Poloniarum obtinuerat: cui non modo à conſilijs, ſed & à ſacris confeſſionibus deſeruiebat. Is ante ingreſſum Religionis, iam Philoſophiæ & Iuris vtriuſq; laureâ doctorali ornatus fuit: Poſt aſſumptum verò in Tinecenſi Aſceterio habitum Monaſticum, inſignem in rebus agendis prudentiam, pietatem in moribus, ſtudium in omni regulari profectu, per annos aliquot vniuerſo ſodalitio Tinecenſi abundè comprobauit. Ac demum occurrente vacatione Trocenſis Abbatiæ, iudicio omnium, par gerendo ei muneri, illuc deſtinatus, alienæ expectationi ſufficienter reſpondit. Anno autem Redempti orbis 1517. in viâ publicâ, iter Trocis Vilnam proſequens, à Tartaris Lituanicis ſerotinâ horâ inuaſus, & rebus diſpoliatus, à Rege Sigiſmundo & Priuilegij antiqui confirmationem, & nouam redituum acceſſionem obtinuit. cuius Priuilegij iſta eſt forma ad verbum.

In nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Conceſſiones Regum & Principum, illæ verò præcipuè quas in hac vitâ humanâ, piâ deuotione mortalium fieri vnquam contigerit, licet plerumq; illæſæ permaneant, pro maiori tamen poſterorum fide ac ſecuritate perſonarum & miniſtrorum Eccleſiæ, per eos quoq;, quibus demum fortunâ & Deo fauente dominandi culmen incumbit, literarum apicibus, & teſtium fide dignorum annotatione, roborari conſueuerunt, tanquam æuo duraturæ ſempiterno. Proinde Nos Sigiſmundus Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæq; &c Dominus *&* Heres. *Significamus tenore præſentium quibus expedit vniuerſis præſentibus & futuris, harum Notitiam habituris: Quomodo nomine Honorabilis & Religioſi*

Bernardi de wieliczká Ordinis S. Benedicti Monasterij in Antiqua Troki Abbatis, nobis humiliter supplicatum est, vt sibi Priuilegium Fundationis eiusdem Monasterij Originale, coram Nostrâ Maiestate exhibitum, potissimùm autem, propter quandam casualem ab eiusmodi Priuilegio sigilli abstractionem per Tartaros nostros, qui Vilnâ confusè euntes, eidem Abbati obuiarunt, literasq; seu Priuilegium eiusmodi ab ipso vi accipiendo sigillum ruperunt & abstraxerunt, ipsum omnibus spoliando: Authoritate nostrâ Ducali, innouare, ratificare, & confirmare dignaremur: cuius quidem Priuilegij tenor sequitur, & est talis. Jn nomine Domini Amen. Ad perpetuam huius rei memoriam. sane tunc Diuinæ retributionis præmia, & temporalis &c. vt supra in Lucâ Abbate positum est. Post cuius insertionem integram & fidelem; Sequitur *Nos itaq; Sigismundus Dei gratiâ Rex Poloniæ & Magnus Dux Lituaniæ, supplicationibus eiusmodi tanquam iustis & Deificis satisfacere cupientes, Hoc idem priuilegium Ecclesiasticum præinsertum, de Nostræ Celsitudinis clementiâ innouandum, ratificandum & confirmandum duximus, innouamusq;, ratificamus, approbamus, & confirmamus, decernendo omnia & singula præmissa, in eodem Priuilegio præinserto contenta & expressa, robur debitæ firmitatis obtinere, tenore præsentium mediante. Præterea, eidem Monasterio in Antiqua Troki & eius Abbatibus pro tempore existentibus, damus, donamus, perpetuè Decimam de omni grano, auenâ exceptâ, post Curiam nostram Ilgi, & duas terras seu campos desertos, videlicet Szakry & Siedlisćze: eiusmodi Decimam & campos præfatos, per eundem Abbatem & ipsius successores, habendi, tenendi, vtifruendi, pacificeq; & quietè possidendi, ac pro vsu suo & Monasterij præfati, prout sibi melius expedire videbitur, conuertendi. Jn cuius rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Actum Vilnæ, feriâ secundâ ante festum S. Catharinæ proximâ, Anno Domini MDXVII. Regni verò nostri Anno XI. Præsentibus Magnificis & Generosis, Nicolao Nicolai Radziwil Palatino Vilnensi & Cancellario: Gregorio Osczykowicz Trocensi Palatino & Curiæ nostræ supremo Marschalco; Stanislao Ianowicz Castellano Trocensi, & Samogitiæ Capitaneo; Gregorio Ilinicz Capitaneo Brestensi ac Nicolao Nimira Marschalco Nostro Magni Ducatus Lituaniæ & Drohicensi ac Mielnicensi Capitaneo, & Paulo Narußewicz Notario nostro, cæterisq; Dignitarijs, officialibus, & Curiensibus nostris, testibus circa præmissa fide dignis, sincerè & fidelibus nostris dilectis. Datum per manus præfati Pauli Narußewicz Notarij nostri fidelis dilecti.*

Has

Hac accessione Regiæ gratiæ non parum adiutus Bernardus, rem Monasterij Trocensis meliorem reddidit: ac tandem laboribus continuis & morbo podagræ grauiter confectus, postquam in administratione Trocensi annis viginti duobus summâ cum laude præfedisset, spontaneè cessit Abbatiâ, Anno Domini 1530. ac triennio in magna abstinentiâ & obseruantiâ solitudinis Cænobialis, precationibus instans, seq; ad iter æternitatis disponens, Sacramentis Ecclesiæ munitus, bonorumq; operum plenus, migrauit ad Christum Anno 1533. ibidemq; Trocis sepultus.

STANISLAVS
à Cracouiâ,
ABBAS XII.

BEnè iter solidâ virtute firmauit successoribus suis Bernardus quandoquidem eodem loco beneuolentiæ habitus est apud Sigismundum Regem, & præsens Abbas STANISLAVS. qui è Priore Tinecensi in locum Bernardi electus & ordinatus Abbas, grauitate, ingenio, ac eloquentiâ clarus operibusq; charitatis iugiter & indefessè intendens, ac zeli & deuotionis specimen cæteris relinquens, annis Viginti in regimine Trocensi expletis, maturus annis, cæloq; aptus, migrauit ex hac vitâ, Anno 1551.

FELIX SŁVZEWSKI,
ABBAS XIII.

Cele-

CElebri Sulimarum gente oriundus, ita natiuam generis claritatem, acquisito virtutum splendore in monasticâ conuersatione apud Tinecenses cumulauit, vt facilè vota Collegij eiusdem, de eligendo Antistite Trocensi deliberantis, in se pertraxerit, regimenq; loci illius, amæno Fratrum applausu, Anno Domini 1551, fuerit auspicatus. Vir ad secularium rerum magisteria tractanda, ingenio acutus, œconomiæ domesticæ studiosus, bonorum Ordinis acer defensor, sub quo Monasterium Trocense in ædificijs & cultura agri profecerat, nec non consuetis exercitjis Regularibus & curæ animarum per suam paræciam sedulò inuigilabant Fratres. Hic anno Dominicæ natiuitatis 1558. confirmationem priuilegiorum præfati Monasterij Trocensis à Sigismundo Augusto impetrauit; cuius membranea charta in Tinecensi chartophilacio sub litera D. num 4. asseruatur. Et tandem exactis in curâ & ministerio Trocensis Domus Annis triginta, mortuus est Anno salutis fidelium 1580. die 26 Martij.

Gaudebant forti te defensore bonorum
Troki, certus habet te duce limes agros.
Limes agris per te positus non limitet vllo,
Ætati patulum tempore laudis iter.

MATTHIAS GORYCZKOWSKI.
ABBAS XIIII.

SŁuzeuscium in Abbatiâ Trocensi secutus est Gorzyczkovvski, Monasticarum virtutum cultor præcipuus & charitati, humilitati, orationiq; magno cum feruore deditus, ac prudens & pius dispensator, qui in tempore opportuno præbuit alimenta suis. Quindecim prope annos, Trocensis

censis Ecclesiæ gubernacula tenuisse illum quorundam relatu cognouimus, tametsi aliqui minori tempore contendant præfuisse.

C L E M E N S
S I E R A D Z K I,
A B B A S XV.

QVod Clemens nomini suo semper responderit, multorum testimonijs subnixa loquitur adhuc fama. Hic literis quanquam & artibus honestissimis non leuiter esset imbutus, stultitiam nihilominus illam (quam elegit Deus vt confundat huius mundi sapientes) familiarem habuit, & simplex audiri apud homines, & non alto poni loco, neq; præconio cuiusquam celebrari, auidus totâ exambiuit vitâ. Tribus itaq; vel paulò amplius annis, in Trocensi gubernatione exactis, spontè Paulouio cessit, & reliquum vitæ Tineciæ peregit, charitate & animi simplicitate laudandus senecio.

T H O M A S
P A W Ł O W S K I,
A B B A S XVI.

FRequentissima pariter & iucundissima huius Patris Tineciæ & alibi vernat recordatio. Qui in Tinecensi cætu Religionem sub Andreâ Brzechvva Abbate Regulari professus, annis sexaginta Octo, in Or-

dine BENEDICTINO emensis, ætatis annorum nonaginta septem, salutiferæ verò Redemptionis anno 1653. integris planè sensibus & iudicij grauitate valens, dum orationi & contemplationi die 9. Ianuarij anni præassserti pluseulum indulgeret, seq; nonnihil erigere de sellâ, absente interim seruitore vellet, labantibus pedibus ad terram concidens paralysiq; tactus, intra paucas horas silicernius homo & magnâ senectute confectus, expirauit. Is circa annum CHRISTI 1597. Trocensis constitutus Abbas, decorem domûs Dei amans, & ornamento Ordinis lociq; studens, Ecclesiam primùm veteri situ squalidam & obscuram, excisione fenestrarum, Orientem & Occidentem versùs, tabernaculo, oratorio, suggestu, pauimento latericio, latiori porticu, apparamentis sacrarij & picturis varijs, Paulo V. pontificante, Benedicto Woyna Vilnensem sedem tenente, exornandam curauit, Bibliothecam quoq; ad ornamentum eiusdem Trocensis Domûs, & Fratrum vtilitatem, libris studio vndique suo conquisitis, erexit & instruxit. Sacristiam antiquitate deformem (in quâ olim Kieystuti Ducis Lituaniæ caldarium & balneas fuisse tradunt) in venustiorem formam redegit, profunditatem ipsius altitudine duarum vlnarum, terrâ repleuit, tegulis strauit, armarijsque ad vsum commodiorem instrui procurauit: Iura quoq; Monasterij & fundos, non minori diligentiâ conseruare studuit: quorum tuendorum causâ, sub tempus Commissionis, à Sigismundo III Rege, inter ipsum Abbatem, & Mustapham Tribunum Tartarorum Lituanicorum, ad confinia vtriusq; bonorum Vaka distinguenda, indictæ & in actu Judicij existentis, cum fortius in vicinos inueheretur Tartaros, tantam demum ab eis infestationem semper expertus est, vt vitæ suæ consultum esse volens, re & consilio cum Tinecensi Conuentu collato communicatoq;, postquam annis octodecim rexisset Trokos, factâ resignatione iuridicâ, ad Koscielnensis Præpositurae in Maiorem Poloniam commigrauerit administrationem: in quâ vndeuiginti circiter occùpatus annis, Ecclesiæ & Cænobij illius benè auxit rem, libros comparauit, hortum amplitudine loci & arborum fruticumq; diuersitate insignem, obseuit & implantauit. Multis itaq; præclaris rebus, & ad loci Koscielnensis decorem & vtilitatem peractis, tandem quietis claustralis desiderio, Tineciam demigrans Bibliothecæ Cœnobij eiusdem curam ipse vsq; ad vltimam sui obitus diem

dili-

diligenter gessit, quam etiam libris egregijs per se coemptis, ad perpetuam in O dinem & locum professionis suæ grati animi contestaionem, insigniter locupletauit.

IOANNES CHELSTOWSKI, ABBAS XVII.

IOANNES in Pawłowij locum surrogatus, constantem solicitudinem in tra[..]dis Cænobij Trocensis negotijs perpetuò adhibuit, intra mentis suæ arcana reuoluens studiosè districtam futuram discussionem de concreditis curæ suæ ouibus, deq; actibus suis reddendam rationem. Nihil itaq; ex debito Pastoris officio prætermisit, & sedulam operam circa curam Animarum Monasterio illi annexam impendit. Hinc factum, vt cum anno 1625. grauis pestilentia in diuersis Lituaniæ partibus & villis grassaretur, Trocensis quoq; vicinia, istâ clade infecta fuit, in tantùm, vt passim præ violentiâ morbi perimentis, inter ambulandum homines expirarint. quos cum ex charitate Christianâ, & debito sacerdotalis officij, nostri Trocenses procurarent, & lue extinctos tumularent, eadem percussi mortalitate duo primùm eximij Patres JOANNES LOMZA, & PETRUS MELANIUS, Monachi virtutis emeritæ, postmodum & de familiâ domesticâ plures, ac ipse Abbas eodem vlcere interijt, vir alias sinceræ fidei & ardentis charitatis in omnes.

MARTINVS MORZYCKI, ABBAS XVIII.

IGitur postquam hominum consortio exemptus est Chelstovvski, successoem accepit, MARTINVM MORZYCKI Monasticæ disciplinæ cultorem egregium, Fratrum amatorem beneuolum, Ordinis decus diligentem, bonumq; commune Cænobij promouentem, nec minus doctrinâ & moribus ornatum, nauumq; in omnibus Religiosum. Cuius singularem animi moderationem, & in gubernandâ Trocensi Abatiâ prudentiam solertiamq; Tinecenses postquam cognouissent, eidem imposuerunt, vt simul cum Trocensi administratione, Prioris Tinecensis munium obiret, Cœnobioq; generali seruiret, ac totam Congregationem Pro Abbatis Tinecensis titulo & officio moderaretur. Profuit verò vtiliter & cum decore Tinecensibus aliquot annos: ac postmodum frequenti postulatione à Prioratûs molesto & arduo ministerio absolutus, cum Trocos in Lituaniam redijsset, Anno 1634. Fundationem Piosfunensem acceptauit. cuius copias ex authentico desumptas ad instructionem & notitiam posteritatis adijcio.

Nouerint vniuersi præsens hoc publicum Instrumentum nostrum inspecturi lecturi & audituri; quod olim Generosus ac Magnificus Dominus Ioannes Klocki Capitaneus Miedzialensis, volens temporalem suam possessionem, in æternam hereditatem animæ suæ bono conuertere, dum adhuc DEI *gratiâ sanus mente & corpore, sensuq; discretus esset, Testamento omnium bonorum largitori* DEO *Deiparæq; Virgini, ac Diuo* BENEDICTO, *nec non mortalibus, immortalem voluntatem ac pium desiderium suum, manifestum esse voluerit; superuenientibus verò ægritudinis molestijs & appropinquantibus mortis angustijs: Nobis Georgio Tyszkiewic Dei gratiâ Episcopo Samogitiæ precibus accersito, idem Generosus Dominus corpore quidem æger, compos tamen mentis & rationis, eandem suam vltimam ac piam voluntatem non minus testari, quam vt post obitum suum effectum sortiatur,*

tur,

tur, plenariam, circa eandem dispositionem, ad placitum nostrum in pium vsum pro DEI gloriâ & animæ suæ bono, commisit. Quam nihilominus primariam suam voluntatem coram nobis declarauit, vt bona sua villæ siue prædij Piosżuny dicti pro fundatione Monasterij Ordinis S. BENEDICTI in Diœcesi Vilnensi cum omnibus iuribus, vtilitatibus, prouentibus, attinentijsq; qualiter ipsemet à Dominis Dougialis acquisiuit, cedant, eâ nihilominus conditione adiectâ, vt superstite coniuge suâ Domina Sophia Iaskuldowna, penes ipsam prædicta bona totaliter maneant, tantummodo ipsa teneatur duos vel si fieri non possit, vnum sacerdotem eiusdem Ordinis, qui curam animarum exerceat, in ijsdem bonis, iuxta prouisionem in Testamento assignatam & expressam, quoadusq; vixerit alere & fouere. Post obitum verò eiusdem Dominæ coniugis suæ legitimæ, prædicti Venerabiles Patres Ordinis S. BENEDICTI Monasterij StaroTrocensis (qualem videlicet numerum Fratrum & Patrum, cum familiâ, ornamentis, rebusq; omnibus necessarijs Ecclesiasticis, suis prouentibus bona supra dicta Piosżuny, sufferre & commodè educare possint) acceptâ iam reali & actuali possessione bonorum supranominatorum, teneantur Cursum quotidianum Augustissimæ Virginis MARIÆ, & quatuor intra quamuis hebdomadam Missæ sacrificia, iuxta intentionem Fundatoris testamento expressam Omnipotenti DEO persoluere. Quod si Venerabiles Patres prædicti Ordinis suæ voluntatis executionem suscipere grauarentur, plenum ius de ijsdem bonis, pro DEI gloriâ & animæ suæ bono, disponendi nobis commisit. Verum, acceptâ declaratione & consensu, supradicta onera ab ijsdem Venerabilibus Patribus recipi, quem consensum sine sui Protho Abbatis Tinecensis, Illustrissimi videlicet ac Reuerendissimi Domini Henrici Fyrley Episcopi Præmisliensis acceptatione, dare nequiuerunt, quam etiam idem Reuerendissimus Protho-Abbas Tinecensis, Illustrissimo ac Reuerendissimo Lociordinario Abrahamo Woyna Dei gratiâ Episcopo Vilnensi, literis suis authenticis declarauit, rogando quatenus in suâ Diœcesi prædicta bona piè legata pro sui Ordinis Monasterio ratificare & perpetuò deputare velit. Nos, quibus plenum Ius & dispositionem circa dictam fundationem, piè defunctus Testator commisit, primariæ intentioni illius sese conformantes, eiusdem Ordinis S. BENEDICTI Monasterij Staro Trocensis Patribus, Seu Reuerendissimo Abbati Martino Morzycki, quem auctione & vigore præsentis fundationis Abbatem esse perpetuum debitisq; insignijs Abbatialibus more aliorum Abbatum Ordinis eiusdem, eo in loco, vti desidero & exopto, & Conuentui ipsius Staro-Trocensi, oneribus supranominatis sese submittentibus,

bus, prædicta bona villæ Pioszuny, auctoritate nostrâ quâ hac in parte fungimur, vnâ cum prædio, fundis, siluis, nemoribus, attinentijs, ac pertinentijs omnibus, nullis penitus exceptis, titulo perpetuo & irreuocabili resignando inscribimus, resignamus & applicamus perpetuis temporibus, saluo tamen iure aduitalitio Magnificæ Dominæ piè defuncti Domini Testatoris consortis legitimæ ipsius. Requirentes præterea vt obligationi cui venerabiles Patres voluntariè sese submiserunt satisfiat, videlicet, vt superstite Magnificâ Domina Sophia Iaskuldowna Klocka, quoadusq; prædicta bona ad illos deuoluantur, vnum ex suo Ordine pro curâ animarum ordinariè administranda & pro solennioribus festis plures in quantum opus fuerit deputent, inhærendo intentioni & ordinationi prouisionis certæ per olim Magnificum Dominum Testatorem specificatæ & expressæ. Jn quorum fidem præsentes manu nostrâ subscriptas sigillo nostro muniri fecimus. Actum & Datum Vilnæ Anno Domini 1634. Diê 16. Mensis Iunij. Præsentibus Admodum Reuerendis Dominis, Nicolao Blaszkowski secretario nostro, Scholastico Vendensi, Ioanne Dougiato Zawissâ S. T. doctore; & R. D. Christophoro Woytkiewicz Capellano nostro. Locus sigilli. *Georgius Episcopus Samogitiæ mpa.*

Tandem Martinus Abbas, quibusdam causis animum suum mouentibus stimulatus, Abbatiam quoq; Trocensem decreuit pro pace suâ dimittere & ad Cœnobium professionis remigrare: creuitq; paulatim concepta in mente cogitatio, donec eam consilio quorundam, tandem anhelus effectui mancipauit. Anno igitur 1637. de consensu Ordinarij, Abbatiam spontè & liberè Tinecensi Conuentui resignauit, & in eo vsq; ad obitum suum permansit. Decessit verò Annò *1643*, die *27*. Decembris, propè septuagenarius, in oratione & contemplatione assiduus, in pœnitentijs voluntarijs rigidus, paupertatis religiosæ amator præcipuus, & omnium virtutum ornatu insignitus.

ALEXAN-

ALEXANDER NOWOMSKI, ABBAS XIX.

SIngularem huius viri, Religionem in Deum, modestiam, parsimoniam, prudentiamq; in actionibus & moribus notam probatamq;, mortalium plurimi, cum inter eos versaretur, celebrauere. Commendabat eum & ornabat vehementer, conuenientissima Prælato Regulari grauitas, quæ tametsi opinione quorundam à comitate distare longius videretur, nihilominus prudentiâ eius, ambæ ita coniungebantur, ac temperabantur, facilius vt fuerit eum in vtraq; summum, quàm in alterutrâ alterum quempiam excellentem statuere. Multa præterea & prædicanda DEVS congesserat in eum ornamenta, quorum ipse ego admirator fui, & ad quæ celebranda ac seræ posteritati ad imitandum proponenda, mirâ quidem efferor cupiditate, sed cum elenchum tantummodo illius loci Abbatum susceperim scribendum non panegyricos, hunc conatum meum si DEO placuerit, vberiori tractationi ad Annales reseruo. Porrò in Trocensis Abbatiæ regimine constitutus Alexander Novvomski hæreditariam sortem Zukonis non ita longè à possessione Monasterij distantem, duobus millibus pecuniæ coemit, templi pinnaculum laminis vestiuit, ædificia Monasterij instaurauit, sacrarij supellectilem auxit, bona Piossunensia à morte Dominæ Klocka, anno *1648*. ad manus & possessionem Trocensis Conuentus officiosè recepit. Et quanquam tenuem admodùm pauperemq; haberet prouentum, frugaliter tamen & pro monasticæ vocationis præscripto, rebus ad honestum vsum prudenter vtendo, & alijs easdem dispensando, quindecim millia pecuniæ corraserat, ex quâ nauim Ecclesiæ maiorem concamerare, & alia adornatum Monasterij conducentia perficere, meditabatur: sed quæ incertitudo vitæ, & bonorum propositorum tarda executio, pluribus incommodis ex Vilnensi conflagratione, & alijs domesticis disturbijs immeritò affectus afflictusq;, die 25. Maj, anno 1654. piè decessit de stadio viuentium.

CÆLE-

CÆLESTINVS LOPACKI, ABBAS XX.

CAſtellani Zakrocimenſis prudentiſsimi ſenatoris filius & progenies, adoleſcens adhuc Diui BENEDICTI inſtitutum in Tinecenſi aſceterio complexus, tali Ordine & loco digniſſimum ſe præbuit. Ac primùm ſuffragijs Fratrum ad Abbatiæ Orlouienſis procurationem electus, pleroſq; gentis Sileſiticæ Comites & Nobiles viros, elegantiâ morum & officijs facilè ſibi deuinxit: quorum ſtudio & gratiâ nixus, in Sileſia annos prope ſeptemdecim egit, turbido præſertim tempore, cum Sueticos exercitus, Cæſarianus miles depelleret. Exinde in demortui Alexandri locum, Cæleſtinus electus, Abbaſq; Trocenſis conſtitutus, per Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D. Georgium Tyſzkievvicz Epiſcopum Vilnenſem inſignijs Abbatialibus & Infulâ exornatus eſt, ſuiq; generis excellentiam & omnium expectationem non male ſuſtentauit. Interea Moſcho intra Lituaniæ viſcera irrumpente, & igne ferroq; omnia deuaſtante, Lopacius Gedanum ſe receperat, vbi annum prope integrum commoratus, dum in Lituaniam iter relegeret, occultæ peſtis affectus malitiâ, in via expirauit 27. Octobris, anno 1657.

STEPHANVS KOBIERZYCKI, ABBAS XXI.

His

HIc verò qualem, in perardui & ob hostilem desolationem molestissimi procuratione muneris, Decimum iam Annum se præstet: quâ vigilantiâ sacrarum legum, totiusq; Cænobialis moris obseruationi studeat: quâ solicitudine, tam multa, tam varia, euersi exustiq; Monasterij negotia, reparationem ac fortunas eius attritas pertractet: quo affectu, quâ humanitate in omnes feratur: quam denique prudenti atq; imperturbato animo agat omnia: suiq; semper similis, & vnum eundemq; hominem vbiq; repræsentans sit, quid attinet dicere? perspicua sunt hæc, omnibusq; multo notiora, quam vt mea, vel alterius cuiusuis narratione indigeant. Nihilominus hoc solùm in præsenti commemoratione, de Reuerendissimo hoc viro addere libet; nempe quod proborum Religiosorum preces ac vota continuò moliri solent, vt optimi quiq; periclitantium Monasteriorum gubernaculis admoueantur: id certe nullibi locorum confectum esse dico, si factum non est in Trocensi Prælatione. Vbi ante annos decem, cum de eligendo Trocensi Abbate, in amplissimo Conuentu Tinecensi ad quem Ius eligendi pro veteri consuetudine spectat, prudenter deliberaretur, omnes in Kobierzyccium, generis nobilitate, virtute animi, doctrinæ præstantiâ, vitæq; Religiosæ exactâ obseruatione eximium, pariter conuenerunt, omnes illi loco iudicarunt præficiendum eum, non qui dignitates sitierit, suffragatores solicitarit, aut oblatis sibi honoribus & titulis lætetur; sed qui à momentaneo splendore ac eminendi priuilegio maximè alienus fuerit, & qui post Vnieiouiensis, Koscelnensis, & Piossunensis Præposituræ, atq; Prioratus Tinecensis vltroneam dimissionem, in sacro BENEDICTINO Ordine & Tinecensi Congregatione priuatam deuotamq; vitam agere, subijci & parere, quam imperare maluit: adeoq; oblatam sibi Honoris cathedram & Infulam istam sanè coactus acceptauit. Quæ profectò optata illius inauguratio, omnibus nobis solatio est, omnesq; pariter recreat, cum subinde singularis ipsius in rebus agendis dexteritas, disciplinæ Monasticæ zelus, frequens & assidua, in diuinissimo altaris sacrificio peragendo deuotio, ab alijs deprædicantur, & ad nos, nostramq; notitiam, multorum relationibus crebrius perferuntur: vt id vnicè optandum agnoscamus, quatenus hunc prælatum, cæteri qui claustralibus potestatibus præsunt, sanctissimaq; Religiosorum iura moderan-

derantur, ſtudijs & actionibus exprimendum ſibi deligerent: ſi inquam Maieſtatem celſiſſimam aſſiduis comprecationibus concipiendis, non infrequentibus ſacrificijs ineundis, auguſtè pieq; venerarentur: populo ſuo veniam, pacemq; expoſcerent: ſarta tecta templorum, cœnobiorum, aliorumq; ædificiorum clauſtralium conſeruarent: quemadmodum hic: cuius præterea innumeræ aliæ virtutes, inſtar luculentiſſimæ facis ſupra candelabrum poſitæ lucent, & omnes qui in domo ſunt, ſplendoris ſui claritate perfundunt. Quem nobis ſoſpitem & incolumem Optimus maximus DEVS ſeruet & foueat

Ad multos annos

Fiat.

INSCRIPTIO

I N

TROCENSIS TEMPLI,

Frontiſpicio.

TEmplum hoc, atq; Monaſterium, in laudem & honorem DEI Omnipotentis, ſub Titulo ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS & S. BENEDICTI Abbatis: per Sereniſsimum Principem ALEXANDRVM VITOVDVM Magnum Ducem Lituaniæ, Anno CHRISTI MCCCCV. erectum, fundatum, ac dotatum eſt; Priuile-

uilegijsq; ac reditibus ab eodem Duce VITOVDO Anno CHRISTI MCCCCXIV. & à Sereniſsimis Regibus Poloniæ & Magnis Lituaniæ Ducibus, Caſimiro, Sigiſmundo, Auguſto &c. prout decet munitum & confirmatum, Abbatiq; ac Conuentui Fratrum Ordinis S. BENEDICTI, Monaſterij TINECENSIS, Diœceſis Cracouienſis perpetuò vnitum & incorporatum ita, vt pro regimine ſpirituali ac temporali huius Abbatiæ, nemo niſi ex ordine S. BENEDICTI, quem Abbas Tinecenſis cum ſuo Capitulo è medio Fratrum elegerit, ac Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo VILNENSI Epiſcopo præſentauerit, poſsit aſſumi.

INSCRIPTIO
ALIA.
In pariete eiusdem TEMPLI.

Consecratio huius Ecclesiæ post sui erectionem intermissa fuit, Annis, Centum septuaginta duobus: donec tandem Anno salutis 1577. per Reuerendissimum Patrem & Dominum CYPRIANVM Ordinis Prædicatorum Episcopum Methonensem, Suffraganeum & Canonicum Vilnensem consecrata est, tempore Domini Felicis Słuzewski Abbatis Trocensis, Dominica 1. post festum S. FRANCISCI, quâ & Anniuersarius celebratur

IESVS MARIA